



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

8 Mathusales Enoci Filius. 9 Lamech Iustus Mathusalæ Filius.
Euchanisticon.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

Heu tardæ Mortalium mentes.
 Incredulos monet, non movet:
 Ac flenda vaticinans, ridetur Vates.
 Nimirum præcipites lentam ultionem non timent:
 „ Ignari gravissima quæque lentè ferri.
 Ergo feliciori legatione ad Serbigenas missum,
 Quos in Angelos vertit
 Ab Angelis in sublime raptum sculpe,
 Num liquidem acra, num ætherem putum potiatur,
 Nondum liquee.
 Hunc utique alicubi sculpe,
 Ubi extra Mortis jacula Mortem tideat;
 Et vivis egressus, mortuis superstes,
 Solus sibi Phœnix, juvenile senium trahat;
 Quid agat dubitas?
 Orbis spectator, Orbi spectaculum parat.
 In Pseudochristum pro Christo velitaturus,
 Bellabit contra rebellem.
 Et peremptus perimet peremptorem.
 Hæc ubi expressetis,
 Brevem Tumulo Epigraphen fige!
 Enochus hic non jacet.
 Cum jacebit, omnes jacebunt.
 Fleas, Viator, antequam jaceat.

MATHUSALES

ENOCI FILIUS.

LAMECH

MATHUSALÆ FILIUS:

EUCCHARISTICON.

Vobis verò inclyti,
 Humana plaudant ingenia;
 Qui divinissimam Artium Astronomiam Cælo devocastis.
 Nite-

Nitebant ignita illa Sidera, & ignota,
Clarissimus ille Populus.

Tenebrionum more per noctem bacchari videbatur,
Nesciebant tempestates cui gratiam haberent Astro.

Terrebant rudes ridenda Lunæ deliquia;
Non terrebant comatæ Cœli Furia, Cometa,
Ibat immortale lumen à caduco indistinctum;
Et mediastini vapores.

Inter Stellarum Patricios numerabantur,
Omnia dixisses errantia Sidera,
Non incedere, sed exulare:
Omnia caduca,

Die pereunte nasci, nascente perire:
Totum denique Cœlum Oceano tumulari,
Sic improvidis vita carpebatur:

Et assiduas Planetarum lucubrationes inertissimi spectabant.

Ut hominum incuria, Astrorum injuria fuerit,
Quæ nomine carebant, ut patriâ.
Vos itaque Cœli Filii;

Stupore duce, qui optimus ignorantia comēs,
Profanis impermissa penetralia rimari,
Cœli oculos Mortalium oculis ostendistis.
Cœpere mûta illa Sidera, deprehensi Prothei
Suorum cursuum aperire consilia:

Et obscuræ temporum leges,
Admotis facibus legi.

Paucis ante diluvium sæculis
Nata sunt astra, quia nota.

Sapuit Orbis cum senuit
Cœlum nosci cœpit, cum irasci

Ut disceret genus humanum quid amitteret.
Denique pereunte Mundo natæ sunt Musæ,
Quarum prima fuit Urania.

Vos vero Cœli interpretes.

Paucis ante diluvium Solibus obiistis;
Tempestivo præfugio in Cœlum recepti.
Quasi Homines circum venire non possent Stellæ,
Quamdiu Stellarum amici viverent.

Omnium tamen ætates evicisti Mathusales;
 Longiore dignus seculo;
 Nisi quæ procul de Sideribus conjecta veras,
 Propius dispicere maluisses.
 Detulit fatali Navigio utriusq; reliquias Naucerus Noë
 Tutissima proflus Navis:
 Cui magneticam pixidem sacra supplebat Urna,
 Ossa gubernaculum, sabburam Cinis.
 Suis igitur grata Vindicibus occurat Urania.
 Musarum parentibus parentent Musæ.
 Vos hominum oculis Cœlum obtulistis,



MUNDI